TRIUM NARRATIONUM DE MARTYRIO SANCTI ADALBERTI COMPARATIO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

ROSTOCHIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

CAPESSENDOS

SCRIPSIT

DR. HERMANNUS WOELKERLING

NEO-RUPPINIENSIS.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS LANGE (PAULUS LANGE).

A. MDCCCLXXIV.

DOMINAE

BENIGNISSIMAE AC BENEVOLENTISSIMAE

DE UNRUHE

E GENTE

DE LOEBEN

NEC NON

VIRO DOCTISSIMO, ILLUSTRISSIMO

HANSTEIN

PASTORI PRIMARIO NEO-RUPPINI.

OPTIME DE ME MERITIS, SUMME VENERANDIS, SUMMAQUE PIETATE COLENDIS GRATISSIMI DEVOTISSIMIQUE ANIMI SPECIMEN EXHIBITURUS

BENEFICIORUM MEMOR

S. D. P.

AUCTOR.

Comparatio trium, quae nunc exstant, de morte Adalberti, Boëmorum episcopi et Prussorum primi apostoli, narrationum*) exemplum nobis affert perlucidum, quomodo traditiones per tot saecula vulgatae et antiquitate quasi sacrosanctae, usque adhuc nemini dubiae nedum incredibiles, uno verbo fontis novi et nuperrime reperti debilitari vel penitus destrui possint. Priusquam illa tertia narratio, quae „passio Sancti Adalperti martiris“ inscribitur, inventa et emendata esset, dubitari non licuit, quin Adalbertus, auxilio Boleslai, Polonorum ducis, usus navigio in Vistula usque ad urbem Gyddanyze (Danzig), inde per apertum mare ad litus Sambiae pervenerit ibique a paganis Prussis, quia secundum opinionem aliorum sacrum nemus et sacrum agrum ignorans permigraverat, secundum aliorum quasi nuntius et legatus hostis jamdudum populo infesti apparuit, mortis supplicio affectus sit. Ita aequabiliter et saepe quasi uno eodemque ore referunt duae illae, quae usque ad novissima tempora solae notae erant, „vitae“ Adalberti, altera, ut plurimis videtur, scripta a Johanne Canapario, monacho, deinde abbate monasterii illius Romae

*) Die neuesten Drucke sind:

1. Vita s. Adalberti auctore Canapario: von Pertz, mon. hist. Germ. S. S. IV 581—95, und von Al. Batowski in Bielowski, mon. hist. Pol. I 162—83. Ein Fragment einer von Nikolaus von Jeroschin herrührenden poetischen Ueberarbeitung in deutscher Sprache, aufgefunden von Joh. Voigt (Neue Preuss. Provinz. Bl. 1861 I. 329 ff.), herausg. von Strehlke in Scr. rer. Pruss. II. 425—28. — Deutsch von H. Hüffer, Berlin 1875.

2. Vita s. Adalberti auctore s. Brunone: von Pertz l. c. 596—612 und von Bielowski l. c. 189—222. — Die auf Preussen bezügl. Kapitel beider Schriften, herausg. von Töppen in Scr. rer. Pruss. I. 228—35.

3. Passia s. Adalperti martiris: von W. Giesebrecht in N. Preuss. Prov.-Bl. 1860 I. 71—74 (hierzu krit. Einleit. S. 55—71), von Bielowski l. c. 153—56 und von Töppen in Scr. rer. Pruss. I. 235—37.

in monte Aventino positi, in quo Adalbertus complures degerat annos; alterius sine dubio auctor est Bruno, nobili et imperatoribus cognato Saxoniae genere ortus, post illius exitum monachus in eodem monasterio Romano, tunc archiepiscopus consecratus omnium populorum, quos conversurus esset ad fidem Christi, postremo Adalberti, quem summa reverentia et pietate amplexus exemplum sibi proposuerat, successor et ipse in eodem populo apostolus, in iisdem prope regionibus martyr. Tertia, antea ignota „vita" seu „passio" abhinc annos septemdecim Monaci Bavariorum in codice manu scripto inter varia alia reperta et eodem fere tempore per W. Giesebrecht Germanum et A. Bielowski Polonum edita est sub titulo „passio sancti Adalperti martiris." In hac narratione non solum iter navale non commemoratur, sed etiam navigatio ipsis verbis excludi videtur; nomen loci, quo episcopus mortem passus est, ante ignotum, appellatur, sed mors ejus longe aliis verbis narratur, quam in prioribus vitae adumbrationibus.

Duplex igitur memoria de morte Adalberti est, et altera quidem continet duas illas antiquitus notas vitas a Canapario et Brunone scriptas, altera, quam supra dixi, nuper repertam passionem. Quae duae vitae, singulis quidem, sed minoris momenti rebus et factis inter se discordes, consociari possunt modo majore modo minore adhibita diligentia et indulgentia. Ubi concentus difficilius effici posse videtur, errorem vel ignorantiam conjicere licet, passionem autem vitarum relationibus in summis rebus concordem facere nullo labore nullaque arte poterit is, cui veritatem quaerere et eam quidem solam sequi cordi est.

Utri igitur credere, utram abnuere narrationem oporteat, dijudicare operae pretium erit.

Ac primum quidem videndum est, qui viri harum trium narrationum auctores fuerint, quo tempore et qua

de causa scripserint, num tres aeque digni sint, quibus credamus, an alius alio fide dignior. Ea, quam usitato more primam nominamus, vita, incipiens ab his verbis: „est locus in partibus“ primum edita est a Canisio ex codice manu scripto monasterii Windberg in Bavaria prope fines Bohemiae; codex inscriptionem offert hanc: De Sancto Adalberto Pragensi Episcopo et Martyre, Ottoni III. Imperatori perquam familiari, Prussorum, Boemorum, Polonorum, Hungariorum Apostolo. Secunda editio Freheri in „rerum Bohemicarum antiquis script.“ primam Canisii ad verbum exprimit, nullius alius manuscpripti mentione facta. Postremo nulla cura et diligentia omissa Pertz eandem emendavit in „monumentis Germaniae histor“. IV. p. 574 sequ.

Auctorem hujus vitae aequalem temporibus Adalberti fuisse, in dubium vocari non potest. Ottonem enim tertium, qui anno MII. mortuus est, et Nilum abbatem, qui eodem fere tempore diem supremum obiit, vivos commemorat; abbatem et monachos ejus monasterii in Aventino, ubi Adalbertus tamdiu commoratus erat, vivos rerum, quas narrat, testes adhibet et ubique se sancto viro familiaritatis et caritatis vinculo adscriptum fuisse plane ostendit. Quis autem ex episcopi aequalibus et familiaribus historiam vitac et martyrii ejus scripserit, non omnino inter doctos constat. Se ipsum enim scriptor nusquam nominat, ideoque antiquiores scriptores alius alii illustri viro, ut Baronius Sylvestri papae, qui ad libellum divulgandum maxime operam contulit, Freher Cosmae Pragensi, qui saeculo post vixit, vitam illam attribuerunt. A recentioribus duorum praecipue virorum ratio habetur, Gaudentii et Canaparii; Benedicti enim, alterius martyris comitis, nisi in annotatione quadam mentionem factam non reperio.

Gaudentium, fratrem et fidissimum comitem Adalberti,

auctorem vitae ejus fuisse Voigt[1]) in „historia Prussiae" ostendere studet et hanc suam sententiam contra aliorum demonstrationes dubio quidem eventu defendit. Contrariam sententiam Pertz in praefatione editionis suae exposuit et Johannem Canaparium, monachum cum Adalberto in monasterio illo Romano, postea abbatem ejusdem, scriptorem vitae familiaris sui fuisse ostendit.

Constat quidem relationem vitae et imprimis martyrii maximi esse momenti, si Gaudentius, qui ei affuit et ipse omnia vidit, ipse omnia audivit, haec sicut memoria tenuit memoriae ipse tradidit. Quod si ita est, de veritate ullius facti ab eo narrati dubitare vix liceret, nisi concedamus necesse esset, Gaudentium aliqnoties sua causa res graviores aut minores contra veritatem enarrasse. Longe autem minoris est auctoritatis narratio rerum, quae fama tantum sunt receptae aut epistolis aliorum, qui ipsi relata iterum referre et facile, quae obscure et deformiter acceperant, deformius etiam et obscurius reddere potuerunt.

Videamus igitur, quibus ex causis Voigt Gaudentium, Pertz Canaparium auctorem libelli esse demonstret.

Voigt asserit, neminem nisi Gaudentium scribere potuisse „secundum regulam sancti patris nostri Basilii" et alio loco „confessoris nostri et patris Benedicti" Adalbertum vixisse; nam cum Adalberto unum Gaudentium primum in monasterium Sancti Nili, ubi monachi secundum regulam Basilii, et postea in illum Romanum, ubi secundum Benedicti regulam vixerunt, se contulisse; neminem alium posse illos duos viros, Gaudentium et Adalbertum, communes patres appellare, nisi Gaudentium solum. Sed his verbis sine dubio omnibus uti licuit, qui similibus, quibus illi sancti, intentionibus et studiis erant imbuti,

---

[1]) Voigt: Preuss. Geschichte, Bd. I., S. 653 ff.

maxime monasterii, quod supra dixi, monachis, quo ad Leonem abbatem viri maxime pii et reformationi ecclesiasticae deditissimi ex tota Italia, ut s. Nilus, s. Romualdus, praefectus urbis Johannes Glosa eorumque similes ad familiaria colloquia saepe convenerunt. Aliud testimonium, quod pro sua sententia Voigt affert, minus demonstrat. Quod enim in illo opusculo ceteri superstites vel Domini nominentur vel titulo dignitatis illustrentur, Gaudentius solus semper „Frater“ et semel „juvenis“ appelletur; quod haec consanguinitas et familiaritas amicissima toties tamque graviter praedicetur, Gaudentium esse scriptorem oportere. Verba de illo usitata, ut „qui sibi (Adalberto) carne et spiritu duplex germanus et ab infantia semper fidissimus comes adhaesit“ aut „dilectus et a puero sibi comes frater Gaudentius“ secundum opinionem praeclari Prussiae historiographi nullum alium habent finem, nisi ut Gaudentius, quamquam modestia adductus tertia persona de se loquatur, nihilominus auctor vitae fratris sui plane cognosci possit. At e contrario est confitendum, illis temporibus fuisse contra morem et scriptorum pudorem, sibi ipsis tales laudes attribuere; quae amicus quidem et admirator sine mora dicere potuit, auctori ipsi dicere non licuit; ideoque verisimilius est, alium, non Gaudentium, talia scripsisse. Accedit, quod omnibus locis Adalberti laudes praedicantur et beati martyris exemplum extollitur, nusquam autem voci ac sensui sanguinis indulget auctor, ne in talibus quidem occasionibus, ubi amorem naturae insitum apparere oportuit, ut in commemoratione miserrimi totius familiae exitus, necis fratrum et praecipue dilectissimi Adalberti ipsius. Omnibus locis admiratio, adoratio, nusquam amor, nusquam dolor! Sunt certe, quae etiam fratri ignota esse poterant, et si autor vitae dicit: „quot annis studuit Adalbertus, incertum est“ haec verba contra Gaudentium testimonium

esse non possunt, ut Voigt recte affirmat; si fratri id ignotum esse potuit, alii ignotius. Quae autem accuratius scire sua intererat, monachus ejus monasterii, in quo Adalbertus tamdiu vixerat, non solum ex frequentibus cum eo colloquiis et ex ejus ipsius ore reminisci, sed etiam ex aliorum narrationibus haud dubie explorare potuit.

Apparet verbi causa ex comparatione secundae (Brunonis) vitae capitis octavi cum primae capitibus duodecimo et undevigesimo, scriptorem hujus relationem a Willicone, praeposito cathredalis Pragensis et Adalberti familiari amico, de rebus Pragae ab episcopo gestis et de illis, quae abdicationis ejus causae erant, factis Leoni abbati missam secutum haec omnia narravisse. Quod autem postremos vitae dies et martyrium ipsum attinet, fama jam dudum interjectis duobus annis omnia perlata esse potuerunt, quae scriptori docto et diligenti ad historiam Adalberti finiendam et perficiendam opus erant, si quidem de initiis et sequentibus ejus casibus accurate omnia memoria digna praeparaverat. His de causis non solum nullo modo necesse est, Gaudentium, propterea quod solus cum Benedicto „in illo agone fuit“ auctorem scripti operis declarari; immo ne eum quidem, ex cujus ore auctor libelli locorum et factorum descriptionem didicerit et nostrae memoriae tradiderit, Gaudentium fuisse. Si in quaerendo oculi in monachum quendam, saepe quod dixi, monasterii fere coacti diriguntur, caput undetricesimum vitae dubitationem vix permittit, quin hic monachus fuerit idem Johannes Canaparius, qui postea abbas hujus monasterii electus est. Quae in Prussia geruntur cum Adalberto „in monasterio, ubi ille talis nutritus fuerat, cuidam converso Johanni Canapario talia Dominus per visum ostendit“. Narratur revelatio iisdem fere verbis, quibus

eo tempore viri pii et modesti de visionibus sibi ipsis factis uti solebant. „E summo coelo veniunt duo linteamina, alba sicut nix et munda absque omni sorde et macula; ambo „sua onera, singulos quidem viros“, de terra levant et aurea sidera transnatant; unius nomen praeter eum, qui haec vidit, admodum paucissimi sciunt; alter vero erat, ut adhuc hodie ipse meminit, dominus Adalbertus.“ Sic narratio revelationis, praesertim comparata cum fine capitis, ubi de visionibus Adalberto oblatis et ab eo narratis simili modo mentio facta est, jam manifestum reddit, illum alterum linteamine levatum et elatum ad sidera fuisse Canaparium ipsum. Quod affirmatur secundae (Brunonis) vitae verbis (c. XXIX): „quem alind linteum suo amplexu acciperet et ad Deum portaret, ab ejus ore, fateor, nunquam excutere potuimus et ideo ipsum (sc: Canaparium) pro secreto amore coelestis patriae alterum onus esse, cogitatione cogitamus“.

Si tandem constat, non Gaudentium, sed monachum Romae in monasterio vitam degentem illum fuisse, qui primam de Adalberti vita et morte narrationem conscripserit, concedendum est, ut jam supra diximus, multo minus, quam antiqui voluerunt, valere ea, quae de ultimis martyris diebus profert, quum alia, quae ex ipsius aut amicorum relationibus audiverat Canaparius, maxima diligentia maximoque veritatis amore collecta et tradita esse satis appareat. Nam maxime probabilem vidimus esse eam narrationem, quam, qui omnia ipse vidit, memoriae tradendam curat, multo minoris aestimandam, si ab alio secundum relationem ejus, qui vidit, quamvis accurate, attamen non sine aliquo errore in parvis rebus conscripta sit, parvam fidem habere, si famam tantum, incertum unde haustam, vulgatam quidem et saepenumero similibus simi-

lia miscentem, aliis diminutis, aliis additis, in omnibus autem dubiam et incertam sequitur. Quantum hujus aut diminutionis aut additionis famae, quantum sit auctori tribuendum, admodum raro potest dijudicari. Relatio de postremis Adalberti diebus, non de prioribus — etiam atque etiam monemus — ejus casibus eo iucertior et justa fide indignior est, quo difficilius possumus demonstrare, hanc de martyrio narrationem ex Gaudentii ipsius ore haustam esse. Hic exeunte anno DCCCCIC mense Decembri Romae erat et in diplomate nobis servato archiepiscopum sancti Adalberti se nominat. Fieri potuit, ut tum Canapario de rebus in Prussia gestis ea narraret, quae hic in Adalberti vita retulit. Quam opinionem defendit Pertz, in controversiam vocat W. de Giesebrecht, cujus secundum sententiam haec vita aestate anni DCCCCIC conscripta est, priusquam ex Gaudentio certiora audire potuerit; at sequenti tempore neque mutata neque novissimis nuntiis aucta, quoniam, quae prima forma erat, jam papae assensu confirmata et admodum vulgo nota erat. Apparet, opusculum post Gregorii V mortem, cui Februario Mense occubuit, confectum esse; nam capite XXI de ejus papae designati juvenili animo et superbia judicium fertur, quale de vivo papa abbas non facile tulisset. Neque minus apparet, scriptum esse ante illud celeberrimum et omnibus scriptis ejus temporis praedicatum iter Ottonis tertii, quod fecit ad visitanda et adoranda martyris ossa in Poloniam primo vere anni M post Christum. Neque est dubium, quin futurum fuisset, ut scriptor libelli hanc occasionem celebrandorum Adalberti meritorum non dimitteret et ferme evitaret, si quid de hoc itinere afferre potuisset. Ne dimissionem quidem Gaudentii ex Prussorum captivitate, qui in commemorato Ottonis itinere ab imperatore archiepis-

copatui novo Gnaesnensi praepositus est, novisse videtur; alioquin ullum de eo verbum dixisset. Gaudentium nullo loco Canaparius testem laudat, etsi capite XII aliorum testimonium sine mora affert eorum, qui res in Bohemia gestas ex Adalberti ipsius ore acceperant, Williconis praecipue, Pragensis praepositi, qui de his litteras quas supra commemoravimus ad Leonem abbatem Romam miserat. Huc accedit, quod Bruno, qui quin secundae vitae auctor fuerit, nemo dubitat, testes suos initio capitis XXXII aperte designat: „ajunt, qui in illo agone fuerunt“ Gaudentius nimirum et Benedictus, quos „duos fratres viri impii immisericorditer ligatos secum“ abduxerunt. Quod testimonium Bruno tali loco affert, ubi ab fama recepta et per Canaparium vulgata opinio vel maxime discedit et gloriam sancti martyris apud populum quasi diminuit. Canaparius rem hoc modo narrat: quum pausantes cuncti in vincula essent conjecti „sanctus Adalbertus, stans contra Gaudentium et alium fratrem ligatum: Fratres, inquit, nolite contristari. Scitis, quia haec patimur pro nomine Domini, cujus virtus ultra omnes virtutes, pulchritudo super omnes decores, potentia inenarrabilis, pietas singularis. Quid enim fortius, quid eo pulchrius, quam dulcem pro dulcissimo Jesu fundere vitam?“ Quum „profluit purpureus sanguis per foramina utriusque lateris, ille oculis ac manibus stat orans in coelum“. Postremo „suppliciter fusis precibus pro sua et persecutorum salute ad Deum clamat. Sic ea sancta anima e carcere suo evolat“. Longe alium Adalbertus secundum Brunonis relationem se praestat, eaque de causa hoc ipso loco testimonium, quod modo attuli, allatum est. Hic non impavidum, laetum martyrem videmus, sed „qui semper hoc spectaculum omnibus votis desideriisque quaesivit accensus, nunc magnus Adalbertus

timet; quasi homo amarae mortis gustum exhorret, . . . pavor in mente tremula hebet (cp. XXX)". Non solatium affert pavidis comitibus ipse pallidus episcopus, non orationes mittit ad coelum de sua et interfectorum salute, sed unum tantum et quale verbum facit! „Ajunt, inquit Bruno cp. XXXII, qui in illo agone fuerunt, nec unum verbum fecit pallidus episcopus, nisi quando ligatum ad montis supercilium ducunt, ubi septem lanceis pulchra viscera forant, ad illum, cujus tunc lancea debuit primum ictum et torvo aspectu occidendum martyrem loco statuit, hoc unum verbum: Quid vis, pater? exili voce interrogans fatur" Apud Brunonem videmus hominem, qui in mortis conspectu tam saepe desideratae nihilominus pavet, sicut natura hominis re vera mortem abhorret; cum Salvatoris ipsius exemplo excusatur Adalbertus, qui appropinquante redemptione nostra sanguinem sudavit, qui sequentibus discipulis tristem se usque ad mortem esse asseruit. Apud Canaparium sanctus pulchris sed non admodum veris verbis loquitur, jam vivus, jam a parvulis sanctus ecclesiae catholicae Romanae, qui, ipse paratus ad omnes cruciatus perpetiendos, cohortatus socios, orat pro hostibus et jam in extremis vitae angustiis Salvatoris exemplum forma et verbis secutus „manus extendit in formam crucis", „protenta cruce terram occupat".

Qua in re ubique, ut Lohmeyer [1]) in commentariis historiae borussiae IX. p. V recte commemorat, ab altero auctore alter vel maxime differt, quod Adalbertum Canaparius omnino sanctum reddit et illustrat sine ulla sorde

---

[1]) St. Adalbert, Bischof von Prag, der erste christl. Apostel und Märtyrer bei den Preussen, von Dr. Karl Lohmeyer. (Separat-Abdruck aus der Zeitschrift für preuss. Geschichte und Landeskunde.)

vel macula; ideoque a parvulo usque ad mortis horam ne minima quidem umbra obscurari potest, imo et parentes puri debent et innocentes esse. Canaparius patrem martyris Slawnikum maximis extollit laudibus; non solum illustrem natu et divitem, sed etiam misericordem, inter delicias fidum custodem legis divinae, diligenter ambulantem secundum praescripta sacerdotum nominat. Bruno mores ejus non ita laudat et praeter alia narrat, praeter uxorem eum habuisse complures pellices-quarum una, nisi fallimur, Gaudentii erat mater. Hac igitur in re custos legis divinae minime fuit, neque melior quam illo tempore plurimi nobiles in Bohemia, qui contra sacerdotum praescripta plures uxores habebant. De Adalberto ipso comperimus hoc et illud juvenili animo factum commissum per Brunonem, nullum per Canaparium. Imprimis autem diebus ultimis non solum in conspectu mortis ipsius pavidum eum et fragilem in Brunonis narratione, impavidum semperque animo firmo in monachi Romani relatione videmus. Serpunt iter, ut Bruno dicit, secus littora maris, et fit repente conlisio undarum, quasi quid moveat aliqua ingens maris bestia, et ad aures gradientium fragor ille validus venit. Comites securi audiunt; medius senior atrocissime obstuguit et velut pavida mulier consternatus exhorruit. Cui Gaudentius subridens ait: Pavit fortitudo tua, audacissime miles? Si saliret super nos armata et ad bellum prompta manus, quid tunc faceres, qui nunc inania times? Haec et similia Bruno minime ad martyris gloriam diminuendam narrat, quem e contrario splendidissimum sibi proposuerat exemplum et tam sincero tamque puro amore complectitur et alloquitur, quasi infans patrem carissimum. Qua de causa somnium, quod sequenti nocte frater martyris vidit, poenam intuetur „quod ludentibus verbis irrisit pavescentem

episcopum". Quum Gaudentius in illo somnio de aureo calice vult bibere, apud Canaparium se opposuit ei altarium minister et audacibus ejus coeptis velut quadam imperiosa auctoritate contradixit; apud Brunonem „advolat custos sacrae arae et unde talia sibi sumat insolentem Gaudentium severioribus dictis increpat. Non liceet, indignatus ait, fauces tuas de aureo calice sumere pocula vitae". Qua descriptione Bruno plane ostendit, vetitum poculum aliter ac Canapario sibi poenam apparere Gaudentio debitam pro illis verbis, seque vituperare comitis episcopum illudentia et inepta verba. Paullo post, ut jam antea commemoratum est, excusat debilitatem martyris exemplo Salvatoris ipsius. Eo magis constat, Adalbertum apud Brunonem pavidum et trepidum apparere, apud Canaparium nunquam pavidum, et tantum differre in re maxima imaginem, quam de eo Canaparius pinxerit, a Brunonis, ut concedamus necesse sit, alterum tantum, sive Canaparium sive Brunonem, non utrumque fide dignis testibus usum veritatem totam amplexum esse. Quoniam autem Bruno testes fere nominatim advocat, Canaparius de iis omnino tacet; quoniam Brunonis vita quatuor annis post quam Canaparii conscripta est, diu post Gaudentii adventum in monasterium Romanum, apparet, vitam Canaparii ante illius adventum itaque ante mensem Decembrem anni DCCCCIC ortam esse et conditam, atque res in Prussia gestas et martyrium, non Gaudentii sed aliorum nuntiis vel epistolis descripta esse. Quum Sylvester II. papa opusculum illud Romanum apostolica approbatione et commendatione fulciret et pervulgandum ubique curaret, non est mirum, auctorem, cum postea ex Gaudentii ore aliter ac ipse narraverat compluria facta esse intellexisset, noluisse opusculum jam approbatum et vulgatum corrigere et in gra-

vioribus rebus mutare. Quam facile suspicio moveri potuit, si ultima corrigenda essent, etiam priora omnino non vera esse! At Brunoni, qui quatuor annis post vitam Adalberti conscripsit, cordi esse debuit, in his ipsis gravioribus rebus quam verissime scribere, quum ipse verum melius sciret. Non casu et fortuito factum esse videtur, quod Bruno auctumno anni MIV vitam conscripsit, eodem fere tempore, quo Canaparius, qui ejus abbas olim fuerat, pridie idus Octobres Romae mortuus est. Verisimile enim est, tamdiu Brunonem tacuisse, ne suis veris relationibus auctoritatem pristini abbatis humiliaret et quod eum legere nollet, quae non aliter quam aegre legere et ferre posset. In prioribus enim vitae factis differentiae, quamvis non paucae, tamen multo minoris sunt momenti; in enarratione rerum in Prussia gestarum et martyrii, ut ostendimus et accuratius ostendemus postea, Canaparius et Bruno saepius valde inter se discrepant. Quum hoc loco nostrum sit, de extremis tantum vitae diebus loqui, nullius est momenti, quibus ex fontibus Bruno priorum dierum historiam hauserit. Concedere satis est, talia eum testimonia semper secutum esse, quae cognoverat optima, et veritatis studio accensum non facile res graves omisisse, ita ut in legendo intelligamus magis magisque, rem nobis eum viro esse, qui veritatem magis amaverit, quam gloriam martyris dilectissimi et honoratissimi. In Canapario admiramur perspicuitatem, elegantiam, artem in Brunone flosculis scatentem et saepe turbatam linquam, omnibus autem locis sinceritatem et veritatis amorem. Fieri tamem potuit, id quod Giesebrecht[1]) recte

[1]) Eine bisher unbekannte Lebensbeschreibung des hl. Adalbert. Abdruck und kritische Einleitung von W. Giesebrecht. (S. N. Preuss. Prov. Bl. 1860. I. S. 65 ff.)

monet, ut quatuor annis interjectis compluria, quae a Gaudentio audiverat, in memoria Brunonis turbata et quasi disjecta essent, neque relationi ab abbate pristino scriptae et ecclesiastice confirmatae contradicere vellet. Nihilominus Bruno justus ille et tenax propositi vir, quem in epistola ad Henricum imperatorem nuper reperta se praebuit, homo verus et sincerus, qui regi et cognato dicit verbis severissimis, in castris hostium patriae, Polonorum, fidem defendi, sub vexillo et subsidiariis regis christiani pugnare paganos, Lintizios, idem episcopus, qui regem offendere conatus est, in papae verba juravit omnibus temporibus. Nunc ut olim: quod alteri objicere decor est, alteri negare ne fas quidem. Sed in levioribus tantum rebus, ut videtur, Bruno ita ad homines se accommodavit, in gravioribus, ut vidimus, suos testes sine mora sequitur et quasi excusaturus se nominatim citat. Illud prius, „quod quatuor anni“, ut ait Giesebrecht[1]) multum in capite tam phantastico perturbare potuerint ex uno praesertim loco demonstrari posse existimamus, qui interpretibus omnibus et explanatoribus quam maximam effecit difficultatem. Editor[2]) „scriptorum rerum Prussicarum“ hic unam ex speciosissimis et maxime miris inter utrumque scriptorem differentiis invenit.

Canaparius enim narrat c. XXVII: „Dux dat ei navem et ipsam pro pace itineris terdeno milite armat. Ipse vero primo adiit urbem Gyddayzc, quam ducis latissima regna dirimentem maris confinia tangunt etc. Ibi . . . baptizantur hominum multae catervae. Ibi, missarum solemnia celebrans, Patri immolat Christum, cui non post multos illos

---

1) l. c. S. 65 ff.

2) Töppen: Scr. rer. Pruss. I. 231 ann. 2.

dies se ipsum pro hostia fuerat oblaturus . . . Postero autem die salutatis omnibus imponitur carinae et pelago.“

Bruno haec refert c. XXIV: Quem (Boleslaum) monet, ut se adjuvet; videns videat, quomodo se in terram Pruzzorum navigio maris exponat . . . Complet dux jussa spiritualis patris . . . Est in parte regni civitas magna Gnezan, ubi nunc sacro corpori requiescere placuit, ubi mille miraculis fulget, et si corde veniunt, recte petentibus salutes currunt. Ibi ergo, quia in via sua erat . . . missam celebrat, sacras hostias oblaturus, viva hostia et ipse mox futurus. Baptizat populum grandem nimis, inde nullas moras nectit, navem ascendit, quam ne prophanus quis tangere audeat, dux sollicitus multo milite armaverat.“

Apparet, hoc loco Brunonem eadem in urbe Gnezan facta commemorare, quae Canaparius in urbe Gyddanyzc. Urbs in via erat, Adalbertus multos baptizat, missam celebrat, inde navem ascendit. Secundum Brunonis testimonium „post non multos dies carina secante terga maris illabuntur Pruzzorum terris“; ut Canaparius affirmat: „Hic imponitur carinae et pelago; hinc nauticum iter velocissimo cursu peragens, post paucos marinum litus egreditur.“ Brunonis Gnezan sine ullo dubio maris confinia tangunt non minus quam illam urbem Gyddanyzc Canaparii. Attamen non est credendum, Brunonem negligenter alterum nomen ignotum altero noto commutavisse; in re tam gravi negligenter narrare vetitum est. Ipse plane credit, in urbe Gnezan illa omnia facta esse, in urbe eadem, quo Adalberti reliquiae translatae erant, quo Otto tertius celeberrimum iter fecerat, ubi et Gaudentium ecclesiae primum proposuerat episcopum. Quoniam autem haec urbs neque nunc neque unquam antea prope maris litus sita fuit,

manifestum est, Brunonem ex Gaudentii narrationibus quatuor annis antea auditis, praesertim quum tunc temporis in Polonia nondum fuisset, facta quidem meminisse, nomen Gyddanyzc autem, rude et molestum intellectu, oblitum esse, ut saepenumero etiam aliis solet fieri. At Canaparins ex scriptis epislotis aut a praesentibus nuntiis nomen intellectu difficile et scriptu ita accepit, ut extemplo memoriae servare posset scriptum, quoniam vitam martyris conscripturus erat, quod facere Bruno illo tempore certe sibi nondum proposuerat. Qua de causa et in aliis differentiis minoribus non semper Brunonem neglecto Canapario, ut recentiores saepe fecerunt, sequi possumus. Nihilominus confitendum est, Brunonis narrationem verisimiliorem esse, quam monachi romani. Exemplum afferamus. Canaparius[1]) post adventum in Pruzzorum terra narrat: „Reversa est navis cum armato milite. Ipse autem pro praestitis beneficiis gratiam vectoribus et vectorum agens domino, mansit ibi cum geminis fratribus. . . . Tunc magna fiducia Christum praedicantes intrant parvam insulam" etc. Secunda[2]) vita narrat: „Festinanter nautae sanctum onus deponunt et nocturno auxilio remeantes, securam fugam capiunt . . . Miles Dei cum duobus sociis intraverat parvum locum, qui circumlabente unda fluminis imitatur insulae vultum. Ibi aliquot dies steterunt; et fama volans paganorum auribus adduxit, habere se hospites ex alio orbe, ignoto habitu et inaudito cultu." Tum tandem, post aliquot nimirum dies, homines non plures parva nave veniunt, quorum unus „pejor pessimus, cum conto, quo navem minavit . . . episcopum inter scapulas fortissime

---

[1]) Kanaparius. Kap. 28. Am Anhang.

[2]) Brun. Kap. 24.

percussit.“ Idem accidit apud Canaparium extemplo post adventum in illa insula, unde „venientes loci possessores pugnis eos expulerunt et quidam accepto naviculae remo ... episcopo ingentem ictum inter scapulas dedit. .... Transiens vero in aliam fluminis partem, stetit ibi sabbato.“

Utri in his tam diversis narrationibus credendum est? Necesse est, id verum nuncupare, quod videtur probabile, quamdiu „tertium, qui discrimen solvere possit, non habemus. Adalbertum navem et vectores ultro remisisse, ultimo auxilio et refugio petulanter se privavisse, antequam terram, quam intraturus esset, et incolarum intentiones cognovisset, nullo modo concedi potest. Quam ob causam postremo, a populo expulsus, se iterum ad occidentale litus maris contulerit, talibus conditionibus intelliget nemo. Navis jam dudum reversa, cum gratiis remissa eum non jam potuit recipere. Et quid utilitatis affert ea quinque dierum mora, quos secundum Canaparium in ea ipsa regione, ut traditio vulgo recepta docet prope Tenkitten, episcopus degit ante diem fatalem, festum S. Georgii!

Apud Brunonem multo facilius omnia congruunt. Vectores non remittuntur, sed nocte socia fugiunt ignavi; gratias nunquam actas Canaparius, ut alia, fingit ad majorem sancti gloriam. Secundum Brunonem sancti viri nautarum fugam ne animadvertunt quidem; alioquin Adalbertus postea consilium capere non potuisset relinquendi Prussiam inhospitalem et Liutiziis evangelium apportandi. Non statim episcopus ab initio coram populo se ostendit et non jam primo adventu ictum illum inter scapulas accepit; non in insula, quam ostium Pregollae minime, quod Voigt[1]) voluit demonstrare, formavit, sed in parvo loco

[1]) Voigt: Preuss. Gesch. Bd. I. 266 ff.

insulae formam imitante circumlabente fluminis unda, aliquot dies stetit, illos eosdem dies, quos Canaparius ante ipsum diem mortis ponit. Multo est probabilius, ibi praedicatores sibi illum hospitem comparasse, cui postea in mercatura feroces viri mortem minantur, aut qui, secundum Canaparium, „divinum heroem Adalbertum transduxit in villam.“ Hinc fama de hospitibus ignoti cultus et inauditi habitus certe emanavit, priusquam „primo pauci, deinde multae catervae, unda populorum peregrinos quaerunt: unde? qui essent? quid quaererent? quare venissent, quos nemo vocavisset? Minatio mortis, si non procul de finibus Prussiae exirent, multo magis movet Adalberti gradus, quam spes, se a Liutiziis hospitalius acceptum iri. Membra fessa pro viae longitudine iterum ac iterum somno indulgent; re vera summa opera student, ut ad litus perveniant. Sed adest armorum sonitus, hasta fulgurans, sonans clypeus, gladius acutus.

Non ob illam causam, quam Voigt disertissime ex Canaparii verbis enucleavit, cum, conjungens commemorationem nemorum et prati, deinde locorum campestrium, postremo sacerdotis cujusquam idolorum nomine Sicco, qui velut ex debito primo vulnera fecit, diceret, Adalbertum occisum esse a sacerdote pagano, quod nesciens sanctum nemus (Romowe) et sanctum campum transgressus esset, sanguis martyris est effusus. Publica vindicta expulsione advenarum salvata erat, privatam ultionem episcopus effugere non potuit. „Cui frater a Polonis occisus erat, zelo ductus venit; illum, ut fieri solet, multitudo hominum, qui exultant in rebus pessimis, sectantur.“ Adalbertus non solum habitu et linqua ostendit, sed verbis suis confessus est, se venire de terra Polonorum, Boleslai auxilio. Ulturus fratrem a Polonis occisum occidit eum, qui Polonum se

gessit. Unus necatus erat, unius et quidem principis mors pro unius morte satisfecit.

Sic in Brunonis narratione, si omittimus non verisimilem finem, vera omnia et perspicua, in Canaparii, etsi elegantia et pia sonant, attamen compluribus locis minus congruentia sunt, ita ut summa adhibita sagacitate et diligentia demonstrari non possint. Quot volumina, quot diplomata Voigt ad fulciendam suam opinionem perlegit et publicavit! Nihilominus inter doctos nunc constat, in ostio Pregollae tunc temporis insulam non fuisse, sacrum campum procul a Tenkitten prope Heiligenkreutz situm fuisse, et in Sambia plerasque sacras silvas, non autem Romove in Nadroviae pago situm, nominari. Ante omnia autem constat, nunc fere omnium historicorum consensu, Brunonis relationem Canaparii longe esse praeferendam.

Itaque liquet, non solum, quod summum est, in moribus Adalberti depingendis, sed etiam in aliis levioribus, quae videntur, rebus ab episcopo Romano narrata tantopere inter se dissentire, ut nemo non optet, ut tertius exstet fons, quo duce certe dijudicari possit, utrum in quavis re Bruno an Canaparius vera tradat. Is tertius fons, ut jam diximus, nuper repertus. Sed tantum abest, ut inde difficultates solvantur, ut novae additae sint, quae dissolvi non possint, verte nondum sint solutae. Nam non solum ultimae vitae Adalberti horae tam diverse narratae sunt, ut nullo modo narratio ceterarum vitarum narrationi consentanea sit, sed etiam iter navale, de quo Canaparius et Bruno mirifice consentiunt atque mare, cujus fluctu maximo secundum Brunonem Adalbertus perterretur, non commemorantur.

Priusquam vero rem ita esse demonstrare conemur, id quod qui judicio integro utitur non negabit, de habitu

illius tertiae vitae, idque maxime de aetate atque de fide ejus pauca afferamus.

Passio illa ab A. Bielowski, qui in bibliotheca Monacensi prima exempla tabularum quarundam a Bernhardo Pez male editarum anno MDCCCLVI comparavit, inventa et transscripta in monumentis Poloniae historicis, imagine litterarum addita, edita est. Cum vero amplum opus non absolveretur, Guilelmus Giesebrecht, ab amico Monacensi (Voigt) certior factus, descriptionem vitae sancti Adalberti ad id tempus ignotam exstare, Regimontio Monacum profectus, nescius eam jam Lembergae in officina quadam typographica typis descriptam exstare, anno MDCCCLX passionem in commentariis provinciae Prussicae in medium protulit. Reperit igitur codicem manu scriptum homo Polonus, Germanus primus hominibus litteratis tradidit. Memorabile est, a Polono et a Germano passionem conscriptam quoque esse narrari.

Atque omnes homines docti, qui diverse de ea judicaverunt, vetustissimam eam esse consentiunt. Ottonem III Gnesnam visitasse, ibi non est commemoratum. Qui vero vitam alicujus componit, sive auctor sive epitomator est, res vitam illustrantes atque exornantes si novit non omittit. Bruno autem, qui quatuor annis post vitam Adalberti composuit, Gnesnam urbem vocat „ubi nunc sacro corpori requiescere placuit, ubi mille miraculis fulget.“ Gaudentium autem, ut Lohmeyer[1]) p. VII putat, cathedrae archiepiscopali Gnesnensi designatum fuisse, in passione non invenio. Ceterum, quid in Polonia in rebus et civilibus et divinis faciendum fuerit, Ottonem tertium jam antea constituisse,

---

[1]) St. Adalbert, Bischof von Prag, der erste christl. Apostel und Märtyrer bei den Preussen. (S. 7), von Dr. Carl Lohmeyer

vix est conjiciendum, immo fecit, quod tempora postulaverunt. In idem, puto, incidunt tempus et Gaudentii cathedrae archiepiscopali Gnesnensi electio et sacra Ottonis perigrinatio, neque errabimus, cum Giesebrechto et posteris passionem initio anni millesimi vel sub finem anni nongentesimi nonagesimi noni ponentes.

Cujus gentis scriptor fuerit, Giesebrecht in praefatione editionis suae inde concludere licere putat, quod plurima nomina propria tam pure et plene slavice sonent, ut ita Slavus solum loqui potuerit. Iis Ketrzynski in commentariis provinciae Borussicae VI haec adnumerat: Slavvinihc, Radim (c. III frater autem ejus Radim mutato nomine Gaudentius dictus), Bugusse, quod est interpretatio Benedicti, Weihtahc pro Adalberto, Chnazino pro Gnesnia.

Ex alia parte, inquit Ketrzynski, dubitari non potest, quin praeter voces slavice sonantes magnam vim etiam linqua Germania habuisse videatur, ut nomen matris Adalberti, Strzezystawa germanice affertur Adilburc. Inde vero Ketrzynski putat certissime manum Germani cognosci, quod saepius p. litteram pro media b scriptor usus sit, id quod apud Germanos saepissime, apud Polonos vel Slavos nunquam fiat, cum ex legibus linguae Poloniae fieri non possit. Exemplo affert Adalpertus, Pulslai, Pulslavo. Si vero, quod alteram vocem Polonus tantum, alteram Germanus scribere posset, duos putat Ketrzynski vitam vel composuisse vel retractavisse, non assentimur. Minus etiam, id quod Lobmeyer p. VI putat, demonstratum esse putamus, passionis non genuinam formam sed relationem exstare.

---

1) Dr. v. Ketrzynski: „Hat der hl. Adalbert seinen Tod im Culmerlande gefunden?“ (in: Altpreuss. Monatsschr., herausg. von Reicke und Wichert, Jahrg. VI, S. 47 ff.

2) l. c. S. 6.

In tertio (apud Bielowski in septimo et octavo) capite permixtas invenimus verborum formas, quibus, ut Ketrzynski putat, Polonus tantum, alias, quibus Germanus tantum uti potuerit. Viator enim affert caput fixum Pulslai in civitatem, Chnazina vocitatam. Hoc loco quin Pulslai Germanum, Chnazina Polonum fuisse auctorem indicet dubitari non posse vir doctissimus putat. Paulo post deinceps scriptum est: „Pulslavo et Adalbertus", quorum verborum prius, p. litera expressum, in lingua slavica nemo reperiet, posterius b litera expressum et in lingua Germanica et in Slavica. Vix credibile est, epitomatorem in uno verbo eam rationem scribendi secutum esse, quam in exemplo primo invenerit, in altero suam ipsius elegisse, praesertim cum eam passionis partem cum ipsis exempli primi verbis in epitomen receptam esse Ketrzynski putet. Facile vero quaestio illa solvi potest, si passionem ab homine conscriptam esse putemus, qui aeque peritus fuerit linguarum et Germanicae et Slavicae, qui eo loco vitam composuerit, ubi utramque linquam homines aeque bene nossent et hominibus, qui, sive unius sive alterius linguae gnari, alterius non omnino rudes essent. Ita factum est, ut nomina eodem fere modo interpretaretur, quo in libris novi testamenti, qui et Judaeis et Graecis destinati erant, ea interpretata invenimus. Ut rem absolvam, ortum est opusculum, ubi Germani et Poloni una habitarent in monasterio quodam, cujus monachi utriusque linguae periti erant.

Quod si ponimus, jam non cogimur fingere, id quod Lohmeyer vult, tertiam vitam eodem tempore retractatam esse, cujus retractationis exemplum primum amissum esset. Neque enim tam celeriter illo tempore homines ad scribendum se contulerunt. Ex libidine autem Lohmeyer agere videtur, cum primum exemplar in Bohemia scriptum

esse dicit, idque ob eam tantum causam, quod Adalberti comitumque nomina non ecclesiastica sed gentilia afferuntur. In capite enim altero, quo nullo verbo mutato verba primi exemplaris redduntur, nomina gentilicia Weihtahc, Bugussa, Radim inveniuntur, extremo quidem loco etiam ecclesiasticum nomen Gaudentius. In capite tertio, quod non epitomen sed continuationem capitis secundi esse liquet, nomen Adalbertus invenitur. Prima igitur verba passionis „Sanctus Adalpertus, primis Slavorum natalibus, Slavvinihc patre et Adilburc matre editus" demonstrare viderentur vocabulo sancti scriptorem fuisse sacerdotem, Adalperti Germanum, Slavvinihc librum conscriptum esse in Bohemia, Adilburc epitomatorem sine dubio fuisse ex gente Germanica, qui epitomator secundum Lohmeyeri sententiam unum verbum ex primo exemplari alterum ex ingenio suo et arbitrio desumpsisset. Talem verbis vim propter conjecturam afferre quis est qui velit?

Multo magis Ketrzynski, ut conjecturam suam sustineat et iter maritimum nordicus teneat, quo loco passio composita sit, ex libine judicat. Dictum enim in passione est: „Saxonica tellure in brevi recedens, in Poloniam regionem cursum direxit et ad Mestris (al. lect. Mestrys) locum divertens coenobium ibi construxit, monachosque quam plurimos congregans Aschricumque abbatem eos ad regendum constituit, qui postea archiepiscopus ad Sobottin consecratus est. In quo loco aliquantisper moratus est."

Quicunque incorrupte rem consideraverit, Mestrim, ubi Adalbertus coenobium constituit multosque monachos ex variis populis collegit, in Polonia sitam fuisse putabit. Atque probabilis videtur conjectura Giesebrechti[1]), qua

[1]) l. c. S. 59.

opinatur Mestrim urbem esse, quae hodie exstat et Meseritzia vocatur. Regem enim Henricum II. in expeditione sua contra Boleslaum anno millesimo sexto Meseritziae fuisse accepimus. Is magnopere delectabatur, raros codices manu scriptos sibi comparare et monasteriis iis, quae plurimi faciebat, dono dare. Inter haec fuit coenobium Tigurinum, cujus abbatem clarissimum Godehardum, qui postea episcopus Hildeshemii erat, imperator maxime coluit. Codex autem manu scriptus bibliothecae Monacensis, in quo passio inest, olim in coenobio Tigurino fuit et signo, quod idem declarat, nolatus est. Quid igitur verisimilius, quam Henricum Meseritziae passionem illo tempore ignotam invenisse et Godehardo misisse nobisque ita servasse? Atque cum Meseritzia ibi sita sit, ubi linguae Germanica et Slavica inter se contingunt, quod supra postulavi, satisfactum est. Ob hanc ipsam autem causam Ketrzynski[1]) concedere non vult, Mestrim sive Mestrym urbem esse Poloniam, qua re in summas incurrit difficultates, in quos eum sequi minus jucundum quam utile est. Giesebrechtum male legisse contendit, in codice non esse scriptum Mestrys sed Mestr f. Quae Ketrzynski[2]) de ea re dicit, omnia reddere libet, quod aliter vix crederentur: „Invenitur in vita sancti Stefani, quam composuit Hartwichius, hoc enuntiatum, quod negligere non licet „Ascritus abbas cum suis honorifice susceptus ad radicem montis ferrei coenobium sub titulo sancti patris Benedicti construxit.“ Itaque in hac quoque passione mestr f corruptum esse videtur ex montis ferrei. Quod si verum est, sequitur, sanctum Adalbertum, cum auctumno anni nongentesimi nonagesimi sexti ad Boleslaum regem Poloniae

---

1) l. c. S. 49.
2) l. c. S. 49.

venisset, inde in Hungariam profectum esse ibique in coenobio montis ferrei aliquamdiu commemoratum esse. Quam autem difficile tum fuerit viris, quales Adalbertus et Ascritus erant, ex Hungaria excedere, Adalberti epistolae capite XXIII Brunonis ostendunt.

Haec omnia etiam in primo exemplo passionis scripta fuisse videntur. Epitomator autem pro breviloquentia sua terras et res commutavit et ex structione coenobii narrata sanctum Adalbertum inde in Borussiam se conferentem facit."

Num qui in vita Stefani commemoratur Ascritus idem est atque Aschrichus passionis primum argumentis confirmare debuit. Certe nusquam dictum est, Ascritum in coenobio montis ferrei ab Adalberto abbatem constitutum esse, immo manifeste dictum est, illum coenobium construxisse, cum Aschricum, ut in passione est, Adalbertus, qui „ad mestr f. locum divertens coenobium ibi construxit" abbatem constitueret. Tum perspici non potest, cur Adalbertus, qui ad Borussos doctrinam transferre vellet Christianam eique voluntati tam acriter obsequeretur, ut privaretur vita, antea in Hungariam, id quod putat Ketrzynski, profectus sit?

Ut jam per se tale iter non verisimile est, ita in nulla vita commemoratur, et Canaparius, Bruno, auctor passionis quamvis contraria in aliis rebus narrent, tale iter nemo eorum commemorat. Minime autem Adalbertus tale concilium cepisset, si cognitum haberet, quam difficile sibi futurum esset, ex Hungaria excedere seque „latenter tantum quasi fugam molientem" Poloniam assequi et inde in Borussiam pervenire posse.

Non credimus, haec omnia in primo exemplari scripta esse videri, non credimus, epitomatorem pro brevilo-

quentia sua terras et res commutasse, sed credimus, verba passionis nihil aliud significare, nisi Adalbertum ex Germania in Poloniam et inde in Borussiam profectum esse. In Polonia coenobio exstructo, quod mons ferreus in Hungaria situs videlicet esse non potuit, aliquamdiu commoratus est. Tum non adjutore sed invito Boleslao, cujus sine dubio non minus interfuit homines, qualis Adalbertus fuit, in terra sua retinere quam Hungariae regis, in Borussiam profectus est.

Verba „latenter quasi fugam moliens" aliter rem interpretari vetant et secundum passionem Adalbertus non navi sed pedibus „sumpto baculo" neque praesidio militum, sed „paucis se comitantibus" in Borussiam profectus est, ubi jam altero die apud urbem Cholinum interfectum esse verisimillimum est.

Haec omnibus, quae Canaparius et Bruno inter se vel sonsentientes vel discrepantes attulerunt, prorsus repugnare, aeque certum est, atque unum tantum esse verum posse. Passionem porro, quae adhuc exstat, non integram, sed ab epitomatore contractam esse arbitrio Lohmeyer finxit neque, quod idem putat, Ketrzynski approbavit.

Quae consequitur narratio martyrii in passione prorsus alia est atque ea quam ex Canaparii et Brunonis libellis cognovimus. Eam omnibus et iisdem verbis narratam vult Lohmeyer p. XXXIII, quae in exemplari slavico inessent, neque autem comperimus, cur non idem jam in enuntiato, quod praecedat iterque maritimum non susceptum esse demonstret, accipi possit. In hoc, quod mutilatum vult, res narrantur, quae ab iis, quae adhuc tradita sunt, prorsus discrepant, non minus autem in eo, quod sequitur, quodque verbis primi exempli redditum est. Itaque qui ad historiae fidem scribere vult, necesse est, non solum

cum Lohmeyero concedat, „fieri non posse, nisi quis ad suum arbitrium judicaturus sit, ut hanc traditionem Brunonis episcopi convenientem faciat, nedum utramque cum Romana sine directis nuntiis orta narratione in unum confundat,“ sed concedat simul, praecedens enunciatum, quod non corruptum esse patet, ex tali fonte originem ducere, qui prorsus alius est atque is, quo Bruno et Canaparius usi sunt. Auctores autem Canaparii et Brunonis soli Adalberti comites fuerunt, sive hos ipsos sive eorum auditores audiverunt.

Monachi Polonici, qui passionem composuit, autores Borussi ethnici fueruet, a quibus Boleslaus corpus Adalderti martyris redemerat. Aliter fieri non potuit, quam ut nuntii tum omnes res mortis accurate exquirerent, et magnificum est, comperire ex ea narratione, Adalbertum audacia et fortitudine sua ante urbem Cholinum, ubi omnibus episcopi insignibus ornatus lituo portas pulsat et quippequi legatus esset rectoris coeli et terrae regisque gloriae ut intromittatur postulat, vel interfectorum suorum verecundiam et admirationem sibi comparavisse. Adalbertus enim passionis vere est heros christianus, apud Canaparium homo sanctus et divus, apud Brunonem mortalis, qui culpa non vacat.

Hae res autem, quales factae erant, omnes ad aures monachi, qui eas tradidit, permanare potuerunt, et pro temporum illorum conditione de rebus in vicina Borussia gestis majorem fidem habebimus narrationi in Polonia quam in Hungaria vel vero Romae conscriptae.

Negari non potest, omnes tres vitae narrationum scriptores quam verissime narrare voluisse. Jam vero autores suos sequi debuerunt et ii vel huic vel alteri vera non tradiderunt; quod nisi esset, tam inexplicabiles discrepantiae exstare non possent.

Itaque aut Borussi aut Adalberti comites rem narrando depravaverunt. Eos verisimile est, quorum interfuit. Num Borussorum? Non credo. Nam qui impius in Deos eorum fuerat, qui fortasse imprudens in sacrum locum intraverat, qui „omnibus locis homines in aquam demergens corrupisset et tunc, ut idem faceret, ad se venisset“, lapidibus cooperuerunt et denique securi dolose percusserant. De hastae enim ictibus, quorum primo Sicco ille fervidus martyrem vulneravit, nihil in passione narratur. Contemptionem quidem mortis admirari potuerunt, sed cum nemo crediturus sit, poenitentiam rei eos subisse, non habuerunt, cur aliter rem narrarent atque gesta esset. Corpus iis redemptum erat magna pecunia etsi, ut dicitur, tam grave non fuerat, quam optaverant. Eorum igitur nihil potuit interesse, ut in narrationem suam res fictas intexerent.

Idem de Adalberti comitibus minime dici potest. Gaudentius et Benedictus Canapario autore vincti erant, quid de iis postea factum sit, non narrat. Idem dicit Bruno. In passione contra Adalberti comites ut se servent, in silvam propinquam fugiunt, Adalberti corpore percussoribus permisso. Paulo post in domo Boleslai regis esse narrantur, unde nuntiis, qui corpus redimerent, duces itineris sunt. Atbue talis fuga, etsi non gloriosa est, tamen ex rei natura sequitur. Unde cum colligere possimus, Cholinum, quod in passione commemoratur, non in longe posita Sambia, unde non verisimile est eos tam celeriter ad Boleslaum per invia et homines hostiles redire potuisse, sed quod jam Giesebrecht et Toeppen putant, finibus Poloniae propius fuisse, tum conjicere licet, eos, id quod alii quoque saepissime fecerunt, res a se gestas quaeque sibi accidissent, fictis mentitisque terroribus exornavisse, ut fugam suam „relicta non bene parmula“ purgarent et gloriam

sancti augerent. Nemo enim, qui iis obloqueretur, aderat, certe ita putaverunt.

Mare cum fluctibus suis, quorum sonu Adalbertus perterretur, sine dubio aeque fictum est, atque armatus comitatus, qui secundum Canaparium eo ipso puncto temporis, quo necessarius erat, ab Adalberto remittitur, qui secundum Brunonem nocte adjutrice timore commotus deserit episcopum. Is in passione non commemoratur. Etiam Boleslai interfuit impedire quominus accusaretur, quod episcopum sine praesidio et auxilio reliquisset. Hanc ob rem rumorem pervulgavit, armatum comitatum a se episcopo datum esse, quem is gratias agens remisisset, ita ut Boleslaus ipse mortis insons videretur.

Hae res fictae et commenticiae simplici et pulchra passionis narratione refutantur. Ipsa verba rem veram esse et ita fieri potuisse testantur, Gaudentii contra et, qui eum sequuntur Canaparii et Brunonis examinantes mirati interrogamus, quomodo factum sit, ut Adalbertus non in proxima, quam attigit Borussiae regione, in Pomesania, Christianam doctrinam propagare conatus sed in Sambiam profectus sit.

„At in iis regionibus", inquit Lohmeyer p. XXXIX, „quae Poloniae vicinae erant, Adalbertus vix audere potuit, orationem de rebus divinis habere. Loca exquirere debuit, ubi animos infectos se non inventurum esse sperare posset."

Sed ita rem cogitare non permittunt ea, quae Adalbertus fecit, qui secundum Canaparium et Brunonem se semper legatum Boleslai confessus est, qui secundum Brunonem ideo interfectus est, quod Sicconis frater a Polonis percussus erat, secundum passionem, quod unus ex multitudine narraverat, eum homines aquaria submersione pessum dare. Id vero ille homo in Polonia ipsa, non Gedani vi-

dere potuerat, aut cum episcopo ipse iter maritimum facere et conficere debuit.

Ad loca Poloniae finibus propinqua omnes nuntii, vel Brunonis ipsius nos delegant, neque omni jure, ut Lohmeyer p. XXIX putat, sed difficillime fidem habere possumus famae, tribus quidem saeculis post litteris mandatae, docenti, primum Borussorum apostolum in Sambia mortuum esse. In vico enim nomine Tenkitten, ultimis demum collegii ordinis Germanici tempestatibus a monacho ejusdem ordinis inferiore sacellum aedificatum est, quod demum libello indulgentiae a Papa misso probatum et celebratum est.

Magis mira autem ea sunt, quae Ketrzynski in veteris Borussiae commentariis menstruis VI p. XXXX disputat: „Si enim", inquit, „Boleslaus ad verum dei cultum Borussorum animos convertere voluit et sanctum Adalbertum ad sententiam suam perduxit, ibi primum Christi doctrina ei docenda erat, ubi caput totius populi erat, non in quolibet terrae angulo. Illud caput autem gentis Borussicae, si quaestionibus Joannis Voigtii fidem habere liceat, Sambia erat."

At si liceat! Nos vero his quaestionibus aeque nullam fidem habebimus, atque argumentis ejus, quibus studet demonstrare, Gaudentium scriptorem primae vitae fuisse, et narrationibus ejus de insulis quibusdam in Pregella fluvio sitis.

Atque ne cogitari quidem potest, ut in libello quodam dicitur, quo ad Culmae urbis scholae civicae sollemnia celebranda invitatur, „Adalbertum pro animi sui impetu

---

1) Wo liegt Cholinun? Untersuchung über die Todestätte des h. Adalbert, von E. Titius. (Culm, Programm der höheren Bürgerschule. 1870.)

et pro divina mentis imitatione, qua coronam martyris appeteret, tranquillum Vistula, quoad per Borussiam fluit, devectum esse, cum fere triginta miliaria terram, in qua Christi doctrinam docturus, populum, cujus animos ad veri dei cultum conversurus erat, ad dexteram haberet nullum aedificium, nullum hominem in altera ripa non videret et cum hominibus fere colloqui posset, sed ne semel quidem conatum esse, e nave egredi et opus suum incipere.

Hanc regionis descriptionem, Lohmeyer[1]) dicit, falsam et corruptam et plane impossibilem, ut ita dicam, esse; praeterea loquitur de locis demissis et palustribus atque de antiqua Nogatia, quae tum etiam fuit, et de magno loco demisso, qui tum etiam terrae Pommeraniae pars fuisset. Neque a Gedano, Lohmeyer inquit, Adalberto propter rem, quam supra attigi, contigisset, ut in ipsam Borussiam procederet.

Oblitusne est Lohmeyer, Wulfstanum nautam tale iter centum annis ante Adalbertum fecisse? Prudensne neglexit, sriptorem illius disputatiunculae, E. Titium, qui tum praeceptor Culmensis erat, sanctum Adalbertum tantum ad Grudentiam (Grudzanz) prope Vistulam proficiscentem facere ita ut neque de locis demissis et palustribus inter Vistulam et antiquam Nogatiam sitis neque de magno loco demisso, sive Pommeraniae sive Borussiae pars fuerit, quidquam usquam dicatur? Num bene consideravit, quam gravi argueret crimine virum, qui Culmae ad Vistulam esset, ibique illam disputationem componeret, si in commentariis, quae a multis leguntur, typis describendum curaret, scriptorem falsam et corruptam et paene impossibilem imaginem regionis expressisse?

---

1) l. c. S. 40 (Nachtrag.)

Lohmeyer Vistulam ex membranis et veteribus libellis cognovit, Titius quotidie nativam oculis conspexit, neque falsam imaginem delineare potuit, nisi mentiri voluit.

Inter Culmam et Grudentiam, quae urbes solae hoc loco respiciuntur, utique prope rivas fluvii fertilia loca demissa porriguntur, quae ante erant palustria, sed non inter Vistulam et quae tum erat veterem Nogatiam. Omnibus autem locis ex altera fluvii ripa altera penitus pernoscitur eaque cui acres sunt oculi usque ad duo triave milliaria. Quanto melius a Vistula unaquaeque utriusque ripae domus cognoscitur, praesertim eum hominum sit, potius ad ripam fluvii, quam in media terra aedificia exstruere!

Aeque ineptum est quod primum et ut initio videtur gravissime a Lohmeyero scriptori illi propter opinionem suam de Cholino, quam persequi non hujus loci est, objicitur. Dicit enim: „Si res quaedam a scriptoribus fide dignis simplicibus verbis traditur, nisi sanam artem criticam omnino negligere vis, eam repudiare non licet.“

Sine dubio recte judicavit. Sed narratio passionis non solum in historia martyrii, id quod Lohmeyer concedit, sed etiam in iis, quae in enunciato sunt praecedente, quod mutilatum esse putat, narrationi Canaparii et Brunonis opposita est.

Atque si res, testimonio codicis manuscripti per mille annos confirmata, alia abhinc paucos quidem annos nota sed aeque antiqua, aeque fide digna narratione prorsus ad incertum revocatur, non licet, alteram altera cui credatur digniorem habere. Si autem ab altera altera abhorret, neque dissolvi potest dissensio, non aliter nisi ita judicare possumus: Locus, quo Adalbertus mortuus est, secundum Canaparium et qui ejus libro saepe usus est eumque pro

viribus emendavit, Brunonem in Sambia fuit; secundum passionem autem nullum iter maritimum sed pedestre ad Cholinun fuit, quod cum in Sambia non sit, ibi non quaeratur necesse est.

Quaerentes quomodo et ubi re vera primus Borussorum apostolus sit mortuus, omnes tres, qui vitam ejus depinxerunt, verissime scribere voluisse sine ulla dubitatione concedemus. Sed ut vix fieri poterit, ut passione inventa unquam certum habeamus, quomodo et ubi Adalbertus interfectus sit, ita jam ejus aequalibus, non omnibus nimirum res fuit incerta.